



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Jacobi Usserii Armachani Annales Veteris Et Novi Testamenti

Ussher, James

Lutetiæ Parisiorum, 1673

Ætas Mundi II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14425**

## ÆTAS MUNDI II.

- 1657 **A** Nno sexcentesimo primo vitæ Noachi, mensis primi die primo, (*Octob. 23. feriâ 6.* ut *novi anni* ita & *novi Mundi* die primo) cum siccata esset superficies terræ, removit Noachus operculum Arcæ. [*Genes. VIII. 13.*]  
Mensis 2 die 27. (*Decemb. 18. feriâ 6.*) cum exaruisset terra, Dei mandato exivit Noachus, cum omnibus qui cum ipso fuerant in Arcâ. [*c. VIII. 14. --19.*]  
Noachus egressus Soteria Deo immolavit. Deus rerum naturam, diluvio corruptam, restauravit: carnis esum hominibus concessit; atque Iridem dedit signum fœderis. [*c. VIII. & IX.*]
- Anni vitæ humana quasi dimidio breviores fiunt.*
- 1658 **d.** Arphaxad natus est Semo centenario, biennio post diluvium, [*c. XI. 10.*] finitum sc. 2368 2346  
1693 **d.** Salah natus est; quum Arphaxad pater ejus 35 vixisset annos. [*c. XI. 12.*] 2403 2311  
1723 **d.** Heberus natus est; quum Salah pater ejus 30 vixisset annos. [*c. XI. 14.*] 2433 2281  
1757 **d.** Quum Heberus 34 vixisset annos, natus est ei filius, cui nomen dedit Phaleg; [*c. XI. 16.*] 2467 2247  
*quia in diebus ejus divisa fuit terra.* [*c. X. 25. & I. Chron. I. 19.*] Quod quidem si de illius natali accipitur; dicendum videtur, quo tempore natus est Phalegus, Noachum (cui regiones, jam sentibus & dumetis obstæ, ante diluvium cognita fuerant) distributionem Terræ inter nepotes suos instituisse; eaque peractâ, eos ab Orientalibus partibus (ad quas ex montibus Ararati jam antè descenderant) in vallem Sennaaris iter peregisse. [*Gen. XI. 2.*] Ubi impiè conspirantes nationes (ut habetur, *Sapient. X. 5.*) ut dispersionem à Deo, per Noachum, jam præscriptam impedirent, (ut ex *Genes. c. XI. versibus 4, 6, 8, 9.* inter se comparatis colligitur) Urbem & Turrim Babylonicam condere sunt aggressi. Quâ inani operâ per linguarum confusionem (quæ *Babeli, c. XI. 9.* nomen dedit) frustrata; gentium dispersio est secuta, in varias orbis partes secundum linguas suas variis deductis coloniis. Inter quarum duces Joktanis quoque, fratris Phalegi, filii XIII. recensentur: [*Gen. X. 26.*] quos tempore nativitatis patris sui Phalegi in lucem nondum fuisse editos clarum est. Cum enim 34 tantum annorum fuerit Heberus, quum natus ei fuit Phalegus: etiamsi Hebero vicenatio natum fuisse Joktanem, & Joktani vicenario natum fuisse suorum filium maximum concederemus; sex nihilominus post Phalegum annis prognatus fuisset ille primogenitus. Ut 13 horum filiorum saltem postremi, *Jobabus*, & tres ante eum proximè commemorati fratres, qui auriferis regionibus nomina sua reliquerunt, *Sheba*, [*Psal. LXXII. 15.*] *Ophir*, [*I. Reg. IX. 28.*] & *Havilah*, [*Gen. 2. 11.*] non nisi aliquot post susceptum à Phalego Rehu sive Ragavum annis, Ducatui huic & rebus gerendis, per atatem, idonei esse poterint.
- Anni vitæ humana iterum quasi dimidio breviores efficiuntur.*
- 1771 **a.** Hinc ad captam ab Alexandro Babylonem anni 1903 intercellerunt: quot annorum observationes cælestes inde in Græciam, Aristotele procurante, à Calisthene fuisse missas, testis est Porphyrius, (apud Simplicium, in Lib. 2. de Cælo.) Unde apparet, siderum contemplationi vacare cœpisse Babylonios ipsius *Nimrod* temporibus: à quo tota eorum regio *terra Nimrod* accepit cognomentum. [*Mic. V. 6.*] quum & illius suavis condi primùm Babylon cœpta (ut in Lib. 1. Antiqu. cap. 5. habet Josephus;) ibidemque prima regni ipsius sedes collocata, (quemadmodum in *Gen. X. 10.* confirmat Moses) indeque gens ipsa Babylonica *anti-quitatis* nomine celebrata imprimis fuerit. [*Jerem. V. 15.*]
- 1787 **d.** Rehu sive Ragav natus est; quum Phaleg pater 30 vixisset annos. [*Gen. XI. 18.*] 2497 2217  
1816 **a.** Ægyptiorum in subiectos potestatem ac Regium Imperium usque ad integros 1663 annos duravisse, refert in Annalibus suis Constantinus Manasses. Qui à tempore quo Ægyptus à Cambyse rege Persarum subjugata est retrò numerati, ad hoc nos perducunt: circa quod, Misraim Chami filius colonias in Ægyptum duxit; quæ inde *Misraimi* & terræ *Chami* nomen adepta est. [*Psal. CV. 23, 27. CVI. 21, 22.*] Unde posteriores Pharaones, filios regum *anti-quo*rum se fuisse jactabant. [*Esaï. XIX. 11.*]
- 1819 **d.** Serug sive Saruch natus est; quum Ragavus pater 32 vixisset annos. [*Gen. XI. 11.*] 2529 2185  
1849 **d.** Nachor natus est; quum Sarachus pater 30 vixisset annos. [*c. XI. 22.*] 2559 2155  
1878 **d.** Terach sive Thara natus est; quum Nachor pater 29 vixisset annos. [*c. XI. 24.*] 2588 2126  
1915 **c.** Ægialeus Sicyoniotorum in Peloponésio regnum incepit, 1313 ante primam Olympiadem. [*Euseb. Chron.*]
- 1920 **c.** Ex vicinâ Arabiâ irumpens gens eorum quos *Hyc-fos*, id est, *Reges Pastores* Ægyptii vocabant, Memphim ceperunt; & totâ Ægypto inferiori (quæ mari Mediterraneo est exposita) potiti sunt: quam primus eorum Rex Salatis per annos 19 obtinuit. [*Manetho*, in Ægyptiacorum lib. 2. apud Josephum, lib. 1. contra Apionem.]
- 1939 **c.** Bæon, 2. Rex, ann. 44. [*Manetho.*]
- 1948 **d.** Postquam Thara 70 vixisset annos, natus est ætate primus trium ipsius filiorum. [*Gen. XI. 26.*] non Abram quidem (quem post 60 demùm annos natum infra videbimus) sed Haran, tertii fratris Nachoris focer. Hic enim, priùs quam pater Thara Ure Chaldæorum discederet

Anno Mundi.	4	ÆTAS MUNDI II.	Anno Periodi Julianæ.	Anno æram Christiæ.
		vitâ ibidem functus, filiam reliquit Milcam, patruo Nachori nuptam. [c. XI. 28, 29.]		
1983	c.	Apachnas in Ægypto regnat, ann. 36. mens. 7. [Manetho.]	2693	2021
1996	d.	Phaleg sextus à Noacho, mortuus est; 209 post natum Ragavum annis. [c. XI. 19.]	2706	2008
1997	d.	Nachor, nonus à Noacho, mortuus est; 119 post natum filium Tharam annis. [c. XI. 25.]	2707	2007
2006	d.	Noachus mortuus est, quum vixisset 950 annos; post finitum Diluvium, 350 annis. [c. XI. 28, 29.]	2716	1998
2008	c.	Abram natus est: quippe 75 annorum existens, quum pater Thara moteretur, annum agens ætatis 205 [c. XI. 32. & XII. 1, 4. cum Aët. VII. 4.]	2718	1996
2018	c.	Sarai (quæ & Iscah, Haranis fratris Abrami filia; [Gen. XI. 29, 30.] nata est: utpote decennio marito suo Abramo ætate minor, [Gen. XVII. 17.]	2728	1986
2020	b.	Apophis in Ægypto regnat ann. 61. [Manetho.]	2730	1984
2026	d.	Rehu sive Ragau, septimus à Noacho, mortuus est; 207 post natum Saruchum annis. [c. XI. 21.]	2736	1978
2049	d.	Serug sive Saruch, octavus à Noacho, mortuus est; 200 post natum Nachorem annis. [c. XI. 25.]	2059	1955
2079		Hoc ferè tempore, Chedorlaomer rex Elami sive Elymaidis (inter Persiam & Babyloniam positæ) subegit reges Pentapoleos, Sodomæ videlicet, Gomorrhæ, Adamæ, Seboim, & Bela sive Zoaris: qui duodecim annis illi serviverunt. [c. XIV. 1, 2, 4.]	2089	1925
2081	b.	Janias in Ægypto regnat, ann. 50 mens. 1. [Manetho.]	2791	1923
2083	a.	Deus Abramum vocat Ure Chaldæorum, ad proficiscendum in eam regionem quam ostensus esset illi. [Gen. XV. 7. Josu. XXIV. 2, 3. Nehem. IX. 7. Aët. VII. 2, 3, 4.] Ure verò ista, quam in Mesopotamiâ cum Stephano protomartyre Aët. VII. 2. etiam Abarbenel (in Gen. cap. 11. collocat, à Sacerdotibus & Mathematicis ex artis vocabulo Chaldæorum appellationem sortitis (quo nomine, in ipsâ etiam Chaldæa, Genethliaci à reliquis magis distincti reperiuntur, Daniel. II. 2, 10. IV. 7. & V. 11.) habitata fuit. Ex quorum consortio & Terach & filii ejus idolorum cultum didicerunt. [Josu. XXIV. 2.]	2792	1922
		Assumpsit igitur Terach Abramum filium suum, & Lotum filium Haranis nepotem suum, Sarai nuntium suam uxorem Abrami filii sui; & egressi unâ Ure Chaldæorum, ad proficiscendum in regionem Canaanis, pervenerunt Charanem, (in eadem cum Ure Mesopotamiâ sitam;) & confederunt illie, gravi Terachi imbecillitate detenti.		
	c.	Quinque fuissent dies Terachi 205 annorum, mortuus est Terach Charane. [Gen. XXI. 31, 32.]	2793	1921

### ÆTAS MUNDI III.

		<b>A</b> bramum, quum mortuus esset pater ejus, denud vocavit Deus à terrâ suâ, & à cognitione suâ, atque à domo paternâ suâ: additâ fœderis Evangelici promissione, de benedicendis in ipso (id est, in semine ipsius benedicto, D. N. Jesu Christo) omnibus familiis terræ. [Gen. XII. 1, 2, 3. cum Aët. VII. 4.] à quâ promissione, & migratione Abrami eam incunctanter subsecutâ, deducendi sunt 430 anni peregrinationis Abrami & posterorum ipsius in terrâ non suâ. [Exod. XII. 40, 41. cum Galat. III. 17.] & initio & fine eorum in 15 die mensis Abib constituto; qui hoc anno in Maii Juliani diem 4 & feriam 4 hebdomadicam (juxta nostras rationes) incidit.		
		Hoc igitur die Abram, quum esset annorum septuaginta quinque, Deum vocantem secutus, assumpsit Saram uxorem suam & Lotum filium Haranis fratris sui, cum universis facultatibus suis quas comparaverant & animabus quas acquisiverant Charane; & profecti ut abirent in regionem Canaanis, tandem pervenerunt in eam. Et transivit Abram per regionem illam ad locum usque Shecemi, ad Quercum Moræ. [Gen. XII. 4, 5, 6.] de quâ etiam in [Gen. XXXV. 4. Josu. XXIV. 25, 26. & Jud. IX. 6.] postea occurrit mentio.		
		Apparens Dominus Abramo, promisit se semini ipsius daturum regionem illam: qui ibidem altare exstruxit Domino qui apparuerat ipsi. Postea refugens tentorium inde ad montana profectus est, versus Orientalem tractum Luzi, postea Bethelis dicti; [c. XXVIII. 19.] ubi ædificato altari, invocavit nomen Domini. Deinde profectus est, indefinenter pergendo, in meridiana regionis tractum; qui Ægyptum spectat. [c. XII. 7, 8, 9.]		
2084	a.	Abram, fame cogente, in Ægyptum descendit, ut peregrinaretur illic: ubi Sarai uxor, quam periculi vitandi causâ sororis nomine compellaverat, regi Pharaoni (Apophi) tradita, postea cum muneribus intacta restituitur: & fide publicâ incolumes ex Ægypto dimittuntur. [c. XII. 10, 20.]		
	c.	Abram & Lot unâ in Cananæam revertuntur: ubi quum eadem regio pecori utriusque alendo non sufficeret, separantur alter ab altero; Loto ad Sodomitas migrante. Post quam secessionem, Abramo terræ & posteritatis numerosæ promissio à Deo renouatur: qui à loco inter Bethelhem & Haiim, ubi prius Altare fecerat, tentoria movens; habitavit in planitie Mammæ, quæ est ad Hebronem, ibique extruxit altare Domino. [c. XIII.]	2794	1920
2091		Bera rex Sodomæ, cum reliquis Pentapoleos regulis, adversus Chedorlaomerem regem Elami rebellârunt; anno 13. ex quo illi servire cæperant. [c. XIV. 4.]	2801	1913